



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. E Monachorum claustris & jam olim, & nostro etiam tempore complures  
haeretici prodierunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

domicilio ſuo tranſtuleric. Et vt venenum quam primum ad cor peruearit, corpus enecat; ſic vbi affectus animi & cupiditates rationem expugnaverint, illicet anima ab iſdem morti eſt tradita.

IV. Locorum illa ſolitudo iam olim diabolum non prohibuit quominus in illis Iouinianum, Theodorum, Pelagium, Eutycherem, Timotheum, Henricum, alioſque monachos & Religioſos inuenerit; qui velut ſub diuerſis ſignis, ſub vnius tamen ductu & auſpicijs, nefario Eccleſiæ indiſto bello, domum Dei oppugnarunt, & partim etiam diripuerunt, diſcordiæ & zaniâ inter bona pacis grana ſeminarunt; & mortem vbi viuifica fides vigebat, plantarunt. Numquam hoſtis ille Eccleſiam acrius aut periculoſius quam per cuiusmodi apoſtatas oppugnauit. Ex his locis Sergium ille produxit, à quo deteſtabilis Mahumetana ſecta cuſa eſt. Ex his locis idem noſtro tempore tot ſultos iuuenes ad Mundi delicias & voluptates retraxit. Nulla domus aut familia eſt Religioſorum quæ impias eius manus & rapinam euaserit. Auguſtinianis ille abſtulit Martinum Lutherum; Dominicanis Bucerum; Franciſcanis Conradum Pelicanum; Carmelitis Vireum & Petrum Richerium; ex S. Brigitæ ordine abduxit Ioannem Oecolampadium; è D. Bernardi ordine Thomam de Thiele; è Capucinatorum cellulis deteſtabilem illum hominem Bernardum Ochinum; ex Carthuſianorum ſolitudine Petrum Martyrem protraxit: vt multos alios eiufdem notæ taceam, vt Pomeranum Bugenhagium, Muſculum, Muſterum, Marlortum, Virellum, Solon, Parrocelj, Leſpine, Berant, &c. qui ex oriente Lutheraniſmo & Caluinismo hinc inde per varias Europæ regiones, ad colligendos ſibi ſtultæ impietatis ſocios, diſcurrerunt. Et hi quidem excerebrati & excucullati Monachi tamquam immundæ ſues in ſtercoribus & ſordibus huius Mundi ſeſe volutarunt, & cilicio, cucullo & pera abiectis, ad pallium & puellam conuolarunt, non iam latus roſario, ſed g'adio cinctum oſtentantes.

V. Diabolus, vt reſtat D. Gregorius, inſidias alicui homini tracturus, primum diſpoſitionem eius & affectus explorat, atque exinde laqueos ſuos neſtitæ tendit: hæc in re aucupes imitans, qui non vno ſed multis modis volucres captant. Aliter ille ſuperbos venatur; quorum ambitio vltra cælum aſcendit; aliter auaros, qui ceu talpæ terra viſceribus incluſi viuunt; aliter luxurioſos, qui velut hirci nihil niſi vbi libidinem expleant,

quæruunt; aliter timidos, qui ſuam, inſtar ceruorum, vmbra ipſi metuunt. Hinc verſutiſſimus ille piſcator eſcam illam hamo imponit, quam à piſciculis maximè ſcit expecti, nihil omnino admittens quod guſtum ipſorum poſſet corrumpere. Inſcitia eſſet auarum luxuria, luxurioſum auaritia, hominem ab omni ambitione alienum ſuperbia tentare. Nouit Panurgus ille, quem nihil iſtarum rerum latet, quibus muneribus ſinguli captari debeant. Hinc auaris iumenta mittit auro onuſta, quibus arcem eorum facile ſe ſcit expugnaturum; Samsones ille in Dalilæ ponit gremium, quæ abraſiſ capillis, omne eis rumpendi vincula robur adimit: Superbis alas addit, quibus quanto illi altius ad cælum euolant, tanto miſerabiliori ruina decidunt, & ad infernum vſque deprimantur. Sic alijs alia, & quidem vnicuique id ad quod naturâ maxime propendet, ſuggerit & ſubminiſtrat: tantoque magis quemque impellit, quanto faciliori ſponte duci ſe quiſque patitur, vt in omnibus apoſtatis videre eſt. Sic ille cum eremita aut Religioſo cuiuſcunque ordinis homine agit, ſic ad cor loquitur: Miſer homo! quid tibi opus eſt carnem affligere, ieiunare, vigilare, cilicium portare, monaſterio te includere, ac totam vitam in ſolitudine exigere? Miſer Capucine! Cur tu corpori viliffimum pannum injicis? cur cilicio pro lintea ſubucula vteris? cur nudis incedis pedibus? cur ſomnum capturus, ſtorem pro lecto tibi ſubſternis? vni vnica veſti ita inclufus veluti & affixus, vt mutare eam numquam, immo ne in extrema quidè hora, frigido & lethali ſudore ex omnibus membris dimanaute, induſum tibi ſumere liceat. Cur tu, miſer Flagellator, à carnum eſu abſtines, & tanta auſteritate vitam traducis? Et tu Carthuſiane, ecquid eſt quod præter tot tamque acerbas carnis macerationes, chariſſimorum ſocietate te priuas? ne verbum quidem cum vilo homine ſine venia loqui audens, & ad vmbroſam illam ſolitudinem tamquam perpetuam carcerem damnatus. Quia tu meum audis conſilium. Perfringe hunc carcerem, erumpe è custodia, & ea vttere libertate quam Deus tibi dedit. Liber natus es, non ſeruus. Quid attinet vt in tam exiguo vitæ curriculo tibi ipſi dulcem huius luminis vſum eripias? Non tam rigidus aut immiſericors eſt Deus vt hoc à te exigat. Chriſtus ſua paſſione & morte pro te ſatiſfecit. Vbi quæſo in SS. litteris mandatur homini, vt ſibi ipſi compedes velut injiciat, tantaque perferat & patiatur quò cæli compoſ fiat? Mera hæc eſt ſuperſtitio